

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Supremus Pietatis Affectus, Quo praematurum Obitum
Viri Nobilissimi, Amplissimi, Et Prudentissimi Dn. Iohannis
Danielis VVurtzii ... A. O. R. MDCLXXVI. Die X. Maji placidè
in Christo obdormiscentis, ...**

Würtz, Johann Daniel

Argentorati, 1676

[urn:nbn:de:bsz:31-135457](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-135457)





SVPREMVS PIETATIS AFFECTVS,

Quo prematurum Obitum,

V I R I

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
& PRUDENTISSIMI,

DN. IOHANNIS DANIELIS
VVURTZII,

REIPUBL. ARGENTORATENSIS
QVINDECIMVIRI MERITISSIMI,
ET COLLEGII WILHELMITANI
PRÆFACTI BENEFICENTISSIMI,

PATRIAE, SVIQ; PATRIS, OPTIMI,

A. O. R. MDC LXXVI.

Die X. Maji placidè in Christo obdormiscentis,
non sine lachrymis prosequerantur,

ipso exequiarum Die,

COLLEGII WILHELMITANI
ALUMNI.



ARGENTORATI,
LITERIS JOH. FRIDERICI SPOOR.

SVEVICVS PAVLVS AFFECTVS

NOBILISSIMO, MARCELLO

DILECTO MARCHESE DAHEMIS

R. CAROLVS AVSTRIACVS IMPERATOR

VERO OPTIMO

COLLEGIUM VITTELLIANVM

EMERSONIS...



Quam mihi Pythagoræ quàm nunc foret utilis error!
Hascertè levioꝛe genas perfunderet imbre
Fletus, & amissum non desolata cadaver
Lugerem, rursusque alio sub corpore *Würtz. I.*
Formaret mens celsa domum. Tunc si mea fortè
Curia divino felix habitata teneret

Membra animo, seu tunc dulcis facundia linguam,
Cura sagax pectus, candor pius ora replet;
Hâc linguâ eloquium, corde hoc sapientia *Würtz. I.*
Inculpata fides hoc dixero vivit in ore,
Dimidioque Tui saltem, Vir summe, carerem.
Nunc Tecum eloquium, Tecum sapientia, Tecum
Inculpata fides tumulo conduntur eodem,
Et mihi Te toto (heu grandis jactura!) carendum est.
Heu grandis jactura!

Vix secum mœsto satis hæc tacita ore gemebat
Argyropè, & medios inter luctantia fletus
Plura locuturæ vocem suspiria rumpunt.
Æqua Tua est pietas, fletum jacturâ meretur.
Ille quidem meritò videatur Barbarus esse,
Qui tantas dotes, lætâ dum messe virescunt,
Non præmaturâ truncatas falce doleret.
At Te, Te propius tamen hæc simul omnia tangunt,
Quando Patrum vacuum dignissimus ordo Tuorum
Aspectat sedem, toties quâ candida *Würtz. I.*
Seu pietas patriam, seu vox, seu cura juvabat,
Et nequit hanc siccis oculis spectare relictam.
Natorum quoties vacuas tristissimus ædes
Ordo videt, mœstoque Patrem clamore requirit;
His equidem lachrymas, his ipso in gutture voces
Obriguisset putes, luctuque in marmora versos,
Quæ mendax finxit miracula Græcia quondam,
Si redeunt unquam nobis, hæc luce redibunt,
Cernemusque homines lapidescere, saxa moveri.
Tunc tanto viduata Viro pia Curia certè
Pallida prælargis quoque fletibus ora rigabit,
Emotamque à sede sua, vis summa doloris

Ad tumulum trahet, & funus comes illa sequetur,
 Thracius ut quondam cantus dulcedine vates
 Et faxa, & sylvas, & bruta animalia traxit.
 At, ceu, Gallinam cum sævus in aëre vexit
 Accipiter, dubio infelix agitata timore
 Pullorum fertur turba; hic mœstum modò matri
 Pipilat, hic alis frustrà se abscondere, frustrà
 Hic prælibatos vermes, hic granula quærit:
 Sic (nisi dimidiâ quod adhuc jam parte beatis
 Alterius nobis superest pia cura PARENTIS)
 Postquam Te nobis mors abstulit atra, Tuorum
 Languet alumnorum subito prostrata timore
 Turba, Pater. Qui solus honor, quem nostra referre
 Jam pietas valet. (heu quod erit simul ultimus ille!)
 Perfusi lachrymis funus comitamur acerbum,
 Æternumque Tibi, duroque perennius ære,
 Erigimus grati monumentum pignore cordis.
 Intereâ mœsto nostra obsita pectora luctu
 Placati expectant rursus solatia cœli.
 Fallor, an hæc vox est? nova se miracula promunt,
 Mortuus è tumulo præbet solamina mortis:

*Q*uid multum lachrymis mœsti mea busta rigatis?
 Desine tandem obitum gens pia flere meum!
 Lata mihi vita est, quam mortem creditis esse,
 Et mors, quæ vobis vita videtur, erat.
 Hanc animam corpus terrenâ fece tegebat,
 Nobiliore mei parte sepultus eram.
 Nunc verò sedes anima incolit alma beatas,
 Parteque jam vivo nobiliore mei.
 Neve sub hac clausum tumba me credite claudi,
 Quem Germana etiam claudere terra nequit;
 Per mare, per terras, cum jam hoc sub pulvere nulla
 Parte superstes ero, laude superstes ero.
 Dum vixi parvus fueram, post funera cresco,
 Libertas capto, dum capit urna, redit.
 Dum vixi, funus fueram, post funera vivo,
 Dum rapuit vitam pallida Parca, dedit.

F I N I S.

